



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio IX. Consideratur in typo Abrahami & Isaac amor æterni Patris
filium suum unigenitum in mortem crucis tradentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO IX.

Consideratur in typo Abrahami & Isaac
amor æterni Patris, Filium suum in mortem
crucis tradentis.

*Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum
daret. Joan. 3. 16.*

I.

Præceperat quondam DEUS Abrahamo, magnos Israëlitarum patri, ut sibi filium suum unigenitum immolaret in holocaustum, qui sine mora de nocte confurgens, ad montem Moria (nunc Calvaria locum) perrexit, ligna Isaac filio suo, tunc 25. annum agenti, imponens, ipse verò in manibus suis gladium, quo natum jugularet, & ignem, quo cum DEO in victimam combureret, portabat. Et ecce ubi jam omnia ad cruentum hoc sacrificium erant disposita, adest repente de cælo Angelus: *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam.* Et quare hoc? Cur prius præcepit DEUS, & nunc iterum prohibet? Nunquid in sententia sua & decreto omnino est immutabilis? *Ego enim Dominus, & non mutor?* Hanc difficultatem solvit S. Augustinus: *Affectum tuum,* inquit in persona Dei, *inquisi, non factum exegi,* & S. Chryostomus: *Non hoc, ait, præcepi, ut opus perficiatur, neque volo, ut occidatur puer tuus, sed ut obedientia tua manifesta fiat omnibus; igitur ne feceris ei quidquam: Contentus sum voluntate tua, & ex hac te corono & prædico.* En prudens Lector, Affectum hic DEUS in Abrahamo non effectum intendit, quia hunc erat suppleturus unigenitus ejus Filius Christus JESUS, in Calvaria monte in ara crucis suo tempore, hoc est post 1960. annos, immolandus. Exponamus enucleatius insigne hoc mysterium.

2. Abraham filium suum Isaac, quia unicus erat, etiam unice dilexit, unde DEUS ad eum: *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & offer illum mihi in holocaustum.* Durum præceptum, durum mandatum, nihilofeciùs Abraham absque ulla mora paratum se stitit ad illud exequendum.

dum. DEUS Pater, qui per Abraham, tanquam *Antiquus dierum* præ- Dan. 7. 9.
signatus est, pariter Filium suum unigenitum, quem ab æterno genuit,
unicè dilexit, unde dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene com-* Math. 17. 5.
placui, quem tamen pro salute mundi tradidit in ara crucis immolan-
dum; unde Apostolus: *Qui etiam proprio Filio suo non peperit, sed per no-* Rom. 8. 32.
bis omnibus tradidit illum. O mira, exclamat Ecclesia, circa nos tuæ pie-
tatis dignatio, ut servum redimeres, Filium tradidisti! Et nos non
amemus DEUM? Heu nos miseros!

Abraham ligna holocausti non asino, aut servis, sed proprio filio
imposuit, propriis humeris usque ad montem holocausti deportanda:
Tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac. Pater æternus non dumtaxat Gen. 22. 6.
materiam & ligneam crucem, sed & maximam ac summè horren-
dam omnium peccatorum nostrorum sarcinam humeris innocentissimi
Filii sui imposuit: *Posuit in eo iniquitates omnium nostrarum.* O quam grave Isa. 53. 6.
pondus! Et quis non doleat de peccatis suis?

3. Isaac patre præsentem & spectantem, tanquam servus mercena-
rius, inter duos juvenes patris sui servos propriis humeris grave ligno-
rum pondus ad montem tulit, ubi DEO in victimam erat immolan-
dus: *Ducens secum duos juvenes & Isaac filium suum: Cùmque concidisset ligna in* Gen. 22. 7.
holocaustum, abiit ad locum, quem præceperat ei DEUS. Christus inter duos
latrones crucem gravissimam ad eundem montem propriis humeris
asportavit, in qua inter latrones medius suspensus est: *Et bajulus sibi* Joan. 19. 17.
crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvaria, locum. Et quomodo ut portas
crucem tuam?

Abraham, ubi omnia ad cruentum hoc sacrificium necessaria di-
sposuit, filium suum, ne aliquem inconditum renisum, aut sacrificio
indecentem motum in ipsa jugulatione edere posset, super aram for-
titer alligavit: *Cùmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super* Gen. 22. 9.
struem lignorum. Pater æternus Filium suum unigenitum pro salute
mundi immolandum non solum funibus, sed & clavis ferreis in altari
crucis alligari voluit: *Foderunt manus meas & pedes meos.* Et quoties tu Psal. 21. 17.
de novo per peccata tua cruci affixisti? Et tamen non doles?

4. Abraham loco filii arietem inter vepres & spinas hærentem,
cornibusque suspensum DEO T. O. M. in gratum holocaustum obtu-
lit: *Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hæ-* Gen. 22. 13.
rentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Pater æternus Fi-
lium suum spineo sermo cinctum, tanquam victimam coronatam, pro
salute universorum in altari crucis offerendum destinavit, ubi non di-
vinitas sed humanitas, quæ per arietem præsignata est, pro nobis passa
est:
Ginther Unus pro omnibus. E est:

M. th. 27. 29. *est: Et placentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus. Et tu sub capite spinoso vis esse membrum delicatum?*

Abraham, ubi superiore spiritu illustratus, redemptionem generis humani & mortem Filii Dei, ejusque cruentam immolationem in eodem loco, quo ipse filium suum Isaac DEO in victimam destinaverat, futuram prævidit, & dolore quidem sed & summo gaudio affectus est.

Joan. 8. 56. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit & gavisus est. Sic Pater cœlestis, ubi vidit, quod per mortem crucis unigeniti Filii sui justitiæ divinæ abundè satisfaceret, & totius generis humani miseria sublevaretur, summo quoque & immenso gaudio (ut ita dicam) affectus est: Vidit & gavisus est. Vide hic, anime mi! habes dolendi & gaudendi materiam, si Crucifixum aspicias.*

5. Abraham Patriarcha & Sacerdos, ubi sacrificium illud complevit, & DEO humiliter obtulit, à Domino benedictus, salvo & sano filio recepto, ad domum propriam rediit. Et quis, obsecro, tunc erat sensus Saræ dilectæ conjugis & matris Isaac, ubi hunc filium suum salvum & incolumem, ac quasi de novo redivivum conspicata

Gen. 2. 19. *est? Reversus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabée simul. & habitavit ibi. Altius nunc attolle mentis oculos: Sara mater Isaac non erat*

S. Aug. serm. 73. de Temp. *ignara futuræ cruentæ necis filii sui, ita S. Augustinus & alii; ubi ergo dilectissimum filium suum, quem jam mortuum & immolatum credidit, de longè adventantem conspexit: Incredibili gaudio, ait Josephus de Antiquitate Judæorum, latata fuit, filium suum de sacrificio vivum redemptum videndo. Tale gaudium erat, imò longe majus Dolorosæ Matris & Virginis Mariæ, ubi amantissimum Filium suum JESUM post tam cruentam crucis necem post triduum vivum recepit. Ecce quomodo DEUS quandoque suos, quos maximè diligit, ad extrema adigat, vel adigi permittat, quos tamen in fine non deserit, omnemque illorum amaritudinem in optatam vertit dulcedinem; ille enim est, qui mortificat, & vivificat: adducit ad inferos, & reducit: proinde nunquam desperandum est.*

1. Reg. 2. 6. *ficat, & vivificat: adducit ad inferos, & reducit: proinde nunquam desperandum est.*


6. Abraham, ubi hæc omnia ad nutum divinum complevit, & sic pulcherrimè futuræ passioni Christi cum filio suo prælulit, statuit ob spem posteritatis, ex qua suo tempore & pretiosissimus orbis Salvator erat nasciturus, Isaac filio suo dignam eligere sponsam; in quem finem Eliezer servum primarium in Haran cum donis aureis & argenteis dimisit, ut Rebeccam virginem pulcherrimam filio suo desponsaret; & observat Scriptura munera, quibus eam donavit: *Protulit in aures aureas & argenteas, prolatisque vasis argenteis & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebecca pro munere.*

Gen. 24. 53. *Protulit in aures aureas & argenteas, prolatisque vasis argenteis & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebecca pro munere.*

Hæc

Hæc omnia facta sunt illis in figura, scriptura sunt autem propter nos: Per sponsum Isaac præfiguratus est sanguinum Sponsus Christus ^{S. A. brof. &} & hic crucifixus, per Rebeccam Ecclesia, cujus tunc illa typum gessit, ^{S. Aug. citati} hanc Christus dotavit, & locupletavit pluribus thesauris ac divitiis; ^{Quarlesmio} Per in aures fides denotatur, fides enim ex auditu, per armillas aureas, ^{10. 4 cap. 3.} quæ sunt manuum & brachiorum ornamenta, bona opera indicantur: Per vasa aurea & argentea doctissimus Quaresmius septem sanctæ Ecclesiæ Sacramenta intelligit, quæ sunt vasa gratiæ ac meritorum Christi crucifixi, quæ nobis suo sanguine promeruit; Per vestes pretiosas gratiam divinam subaudi, hæc est enim vestis illa nuptialis, sine qua ad nuptias Agni non pervenitur. Ex quibus omnibus satis superque liquet, quantum Christus Dominus suam sponsam Ecclesiam, & tuam dilexerit animam. Juvat hic audire S. Paulum: *Christus, inquit, caput* ^{Ephes. 5. 23.} *est Ecclesia: ipse Salvator corporis ejus. Christus dilexit Ecclesiam & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata &c.* Cæterum quod de sponsa Christi Ecclesia hic dicitur, subaudiri etiam debet de anima tua, homo Christiane! Vide proinde & cura, ut imposterum anima tua sit sancta & immaculata, ac digna Christi crucifixi Sponsa.

O quam felix tunc eris in mortis articulo!



CONSIDERATIO X.

CruX Dominica est Scala Jacob, & secura animæ Christianæ ad cœlum semita.

Vidit in somnis scalam stantem super terram; & cacumen illius tangens cœlum. Gen. 28. 12.

I.

Cum Isaac Patriarcha jam in provecta constitutus ætate, prudenter prævideret, quod Jacob filius ob præreptam Esau fratri suo benedictionem vix amplius tutus in paterna domo posset consistere (Minitatus enim erat Esau fratri suo: *Venient dies luctus patris mei, & ego occidam fratrem meum*) Jacobum ad ^{Gen. 27. 41.}

E 2

le